



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Cap. XVII. Monumenta Autoritatis Secundi Ordinis in Synodis Diæcesanis,
desumpta ex Canonibus, qui Synodo tribuunt Synodalium testium
electionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

præcipit, quod à Concilio Tridentino fuerat præceptum, quoad Examinatorum electionem in Synodo, & eorum à Synodo approbatum: & Capite 5. vult Examinatores adhiberi ad examinando eos, qui se offerunt ad Beneficia curata petenda, seu Parochias, ad excipiendo Confessiones, ad annuntiandum Dei verbum, ad Ordinum promotionem.

In Actibus Ecclesiarum Mediolanensis legitur quomodo procederetur ad approbationem Examinatorum à Synodo, postquam nominati fuerant ab Episcopo, vel à Vicario Generali. Synodus ad multos suum jus compromissum transmettebat: hi sua suffragia dabant calculus secretis coram Praefecto Scrutini, qui Præstatus erat à Synodi Præside electus, ut Scrutinio præset: Calculi erant impressi, Littera A. Approbationem, Littera R. Reprobationem designabat: media pars suffragiorum sufficiebat: deinde, approbationis promulgatio fiebat. Examinatorum nominatio, & quidquid eam sequebatur ad hanc usque promulgationem, Promotorum postulatione fiebat. *pagina 313.* *Decret. 6. paginis 1291. 1292.*

CAPUT XVII.

Monumenta Authoritatis Secundi Ordinis in Synodis Diaecesanis, desumpta ex Canonibus, qui Synodo tribuunt Synodalium Testium Electionem.

Concilia habita post Concilium Tridentinum antiquos Canones renovant de Testibus Synodalibus. Plerique, qui de iis loquuntur, asserunt eorum electionem fieri debere in Synodo, nec istud jus Episcopo competere, nec ipsi positivè reservari: ex quo concludi potest, istud jus datum fuisse Synodo cum Episcopo, aut illi, qui ipsius vices gerit.

Istius facti probationes desumuntur ex Canonibus sequentibus. Concilium Rothomagense, habitum anno 1581. de Episcoporum Officii num. 32. agens de Synodo Diaecesana, jubet in ea eligi Synodales Testes, vel Decanalibus, vel aliter, prout videbitur Episcopo; Virosque eligi vita commendabiles, qui continentur cognoscere non solum Parochianorum actiones & Parochorum, sed & Archidiaconorum & Decanorum, de quibus in proxima Synodo Episcopo renuntiant. Legitur quoque in Concilio Aquensis anni 1585. de Synodo Diaecesana, Synodalium Testium electionem in Synodo fieri: id enim collocatur inter ea, quia in ea peragi debent. *Probati Viri*, inquit Concilium, *deligantur qui Testium Synodalium officium præstant, & in ipsa Synodo se fideliter suum munus obituros sancte juvent, nulloque aut odio vel amore cujuspiam, panæve metu, aut mercede spe, aut quovis alio humano affectu adducendos, quominus omnia, que cognitione digna cognoverint, aliquot ante Diaecesanan Synodum diebus Episcopo significant.*

Adhuc clarius mentem suam aperit Concilium Avenionense anni 1594. Titulo IV. circā circumstantiam præsentem, in Synodo Diaecesana, è Diaecesi sua, duo itidem Testes Synodales deligantur. Ex quo patet, hanc electionem Synodo competere, quod sequentibus verbis confirmatur; nam cum mentio sit de illa electione, eam fieri in Synodo asseritur, è contraria cùm de juramento mentio sit, quod hi Testes debent præstatre, in manibus Episcopi præstanti debere asseritur.

Si quis penitus perspectum habere desiderat quod spectat Testes Synodales, legat quod de illis asseritur in Actibus Mediolanensis paginis 147. & 148. ipsi constabit, duplicitis, in singulis Diaecesibus, fuisse generis: Alii enim attendere debent ad id, quod à Concilio Provinciali erat reformatum: alii curabant quod reformationem spectabat à Synodo Diaecesana faciendam. A primis juramentum præstari Metropolitanu, in Concilio Provinciali, in quo eligebantur: ab aliis Episcopo, in Synodo Diaecesana, in qua eligebantur, præstanti: juramenti eandem esse formam: ipsis invigilandum esse omnibus abusibus, qui spectabant vel Ecclesiasticos, vel Laicos, vel Ecclesiæ Bona, vel Sancta loca, præsertim vero Decreto Provincialium, aut Synodalium neglectioni. Denique, ipsi constabit, aliquo tempore ante Concilium aut Synodum, ab ipsis scribendum esse Metropolitanu, aut Episcopo ea, quæ ipsis reformatione digna videbantur. Pridiè Concilii Testes Synodales singula Diaecesis unum deligebant, & ipsi suppeditabantur à Clero Diaecesano omnia itineri necessaria; illi vero, qui ad Synodum veniebant, impensæ non suppeditabantur pro itinere, nisi quando è numero illorum erant, qui ad illam convenire non tenentur.

Si utrique aliquod iter suscipere cogebantur pro functione officii, qui huic itineri occasionem dabant, ipsis & almonia & itineris impensas dabant.

Quadam adhuc formula respectu Synodalium Testium reperitur *pagina 1291.* eorumdem Actorum. Juramenti formula, de qua superius egimus, antiquissima est. *BURCHARDUS Lib. I. Capite XCII.* eam ut desumptam ex falsa Epistola tributa Euthiciano referit. Reperitur quoque in *REGINONE*, qui ineunte saeculo decimo scriptis. *Cap. 25. de Accusationibus*, desumptum è quarto Concilio Lateranensi, multa præscriptis de Testibus Synodalibus pro Provinciali Concilio.

CAPUT XVIII.

Testimonia in gratiam authoritatis Secundi Ordinis in Synodis Diaecesanis, desumpta e Canonibus, qui spectant Judices à Synodo electos, ut legentur à Sancta Sede

Non immerito Canonibus statutum fuit in Synodo, eligi viros à Sancta Sede legandos. Provinciae sive commissiones, quæ ex ea emanant, frequentes sunt, & sapè locorum distantia impedit, quominus cognoscantur, illi quibus committi debeant. Unde sit, ut sapè cogatur Sancta Sedes adversariis dare recuperatores, quos postulant, quod potest bono tūm publico, tūm particulari, adverfari. Bono publico, quia multi interest à Sancta Sede non committi nisi viros sapientes, peritos, & fama commendabiles: Porro: sine electione, de qua agitur, potest recuperatores designare, qui his dotibus careant. Bono privato: quia adversarii, qui Judices postulat, eos petit, apud quos gratiam se inventurum esse credit, sive amicitia sive aliis rationibus, quod in alterius vergit incommunum.

Canon antiquior hac de re, desumitur e Capite X. Sessionis XXV. de reformatione Concilii Tridentini. His impulsus rationibus ille Conventus, providet observatis incommodis, præcipiendo, ut in Concilio Provinciali & Synodo Diaecesana, aliqui designentur, qui dotibus sint instruti requisitis. *Cap. Statutum, de Rescriptis in 6.* ut sint Sancta Sedis Delegati, ut eorum nomina & electio ad Papam mittantur, & aliis delegationes factæ irritæ & nulla habeantur, pena nullitatis (ut aiunt) seu substantialis mandatorum alijs datorum infra referetur.

Ut inter causas, quæ à Sancta Sede committi possunt, quadam sunt, quæ spectant vel totam Provinciam, vel homines diversarum Diaecesum in Provincia, & alie, quæ spectant vel totam Diaecesim, vel quoddam Diaecesis privatos, decebat à Concilio præcipi, ut Concilium Provinciale Judices eligeret à Sancta Sede delegandos, & ob eundem finem quidam à Synodo eligerentur.

Tom. I.

M

*D*e